

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6477

Autre(s) référence(s) : Bates 64 / ARTEM 2338

Auteur(s) : Guillaume Ier le Conquérant, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Caen, La Trinité (abbaye)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : 1083, 18 juillet

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le roi Guillaume [le Conquérant] juge la réclamation des religieuses de la Trinité de Caen sur l'église et l'habitation des moines de Saint-Étienne et sur la paroisse du bourg des moines.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta, col. 75-76.
- b. Deville Étienne, *Notices sur quelques manuscrits normands conservés à la Bibliothèque Sainte-Genève* IV. Analyse d'un ancien cartulaire de Saint-Étienne de Caen, *Revue catholique de Normandie* n°14, 1904-1905,
- c. Legras Henri, *Le bourg de Caen*, tenure à cens et tenure à rente (XIe-XVe siècles), Paris, A. Rousseau, 1911, p. 403-404.
- d. Huard George, *La Paroisse et l'église Saint-Pierre de Caen, des origines au milieu du XVIe siècle*, Caen/Rouen/Paris, Jouan et Bigot/Lestringant/A. Picard (MSAN ; 35), 1925 -1929, 2 vol., t. 1, pièces justificatives, n° IV.
- e. Musset Lucien, *Les actes de Guillaume le Conquérant et de la reine Mathilde pour les abbayes caennaises*, Caen, Caron (MSAN ; 37), 1967, n° 17 ; planches VI, VII.
- f. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 64, p. 297-301.

Indications

Léchaudé d'Anisy Amédée-Louis, *Extrait des chartes et autres actes normands ou anglo-normands qui se trouvent dans les archives du Calvados*, Caen, Mancel (MSAN ; 7-8), 1834-1838, 2 vol., t. 1, p. 270, n° 5 et n° 6 ; t. 2, p. 173. Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, *Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100*, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 182.

Dissertation critique

Artem n° 2338 (Version I) ; n° 2339 (Version II, III)

Texte établi d'après f

(Version I)

Anno ab incarnatione Domini millesimo octogesimo tercio, mense julio, die festivitatis sancti Arnulfi episcopi et martyris, adquietavi ego Willelmus Anglorum rex, Normannorum et Cenomannorum princeps, calumniam quam sanctimoniales coenobii Sanctæ Trinitatis faciebant in æcclesia et habitatione monachorum Sancti STEPHANI et in parochia burgi eorundem monachorum, dans prædictis sanctimonialibus, tam pro salute animæ meæ, uxoris, filiorum et parentum meorum quam pro adquietatione iamdictæ calumniæ, partem de burgo meo in confinio territorii Calucii et Cadomi, et licentiam augendi ipsum burgum intra divisas quas eis determinate feci, præmonstrari et in carta earundem sanctimonialium determinari, retentis in meo dominio domibus sitis super ripam Olnæ et tota aqua iuxta ipsum burgum, tali quidem conditione hoc concedens ut in præfato burgo nullos meos burgenses vel in Cadomo in domibus per mercedem manentes recipiant. Hac autem mea donatione ta[llis] concordia facta est inter monachos et sanctimoniales de prædicta calumnia parochiæ eorundem monachorum ut monachis remaneret omnino quieti parochiani omnes qui in prædicto burgo novas domos, ex eo die quo monast[erium] inceptum fuit, fecerant, et illi qui deinceps facerent in toto vico illo per quem itur Baiocas et per quem itur ad Montem Sancti Michaelis, et quinque de antiquis parochianis, Willelmus videlicet filius Tedbaldi et Rainaldus filius Goldæ et Goisfridus pratarius et Mathildis et Burningus, necnon et sepeliciones omnium parochianorum sanctimonialium qui in vita sua sepeliri postularent in cimiterio monachorum. Remansit etiam monachis quietam illud de cimiterio Sancti Stephani veteris quod est intra iamdictum burgum [suum ultra] fossatum meum et æcclesia Sancti Nicholai quæ ab eisdem monachis constructa est ad opus parochiæ suæ.

Testes : Gislebertus episcopus Ebroicensis, Michahel episcopus Abrincensis, Gislebertus episcopus Luxoviensis, Balduinus abbas Sancti Eadmundi, Robertus comes de Moritolio, Robertus de Belesme, Osbernus Gifardus, Hubertus de Portu et alii plures.

(Version II)

Quisquis Deo seu pro Deo aliquid tribuit, ab ipso omnium bonorum largitore mercedem accipiet. Qua spe ductus, ego WILLELMUS Anglorum rex, Normannorum et Cenomannorum princeps, trado ecclesiæ Sanctæ TRINITATIS de Cadomo, pro salutæ animæ meæ, uxoris, filiorum et parentum meorum, et pro adquietatione calumniæ quam sanctimoniales predictæ ecclesiæ Sanctæ TRINITATIS faciebant in æcclesia et habitatione monachorum Sancti STEPHANI et in parochia burgi eorundem monachorum, partem de burgo meo omnino quiete, sicut in dominio meo habebam, in confinio territorii Calucii et Cadomi extra murum. Do etiam licentiam augendi ipsum burgum intra divisas quas iamdictis sanctimonialibus demonstrando determinavi, a via scilicet ante domum Godefridi iuvenis, statuta divisione assumpta per maceriam horti Fucoldi insursum XL.III perticas adusque lapidem qui ibi in divisione positus est, et ex illo lapide in transverso versus æcclesiam sicut recta divisio per desuper horreum transfertur, sed et item a domo prefati Godefridi, divisione accepta, per domum Saxonis deorsum versus aquam ; domos et hortos ad eas pertinentes æcclesiæ prenomina[ta] do, modo quo supra dictum est. Retineo autem tres ultimas domos super aquam sitas in dominio meo, rivagium quoque totum et totam aquam iuxta ipsum burgum et [ut in ip]so burgo nullus meus recipiatur burgensis absque mea licentia. Hac quippe mea donatione talem conco[r]diam [fac]io inter monachos et sanctimoniales de predicta calumnia, communi amborum consensu et consilio suorum capitulorum, monachi[s] [ut remane]at æcclesia Sancti Nicholai cum cimiterio suo omnino quieta et omnes parochiani qui in prædicto burgo monachorum novas domos, non de veteribus renovatas sed nunquam ante factas, fecerunt, et quicumque in futurum facient domos in illis terræ mansuris quæ nunquam ante fuer[unt] hospita[te] et in vico illo per quem itur Baiocas et ad Montem Sancti Michaelis, et quinque de antiquis parochianis, [Wil]lelmus videlicet filius [T]edbaldi et Rainoldus filius Goldæ et Goisfridus pratarius et Mathildis et Burningus, necnon et sepelitiones [omnium pa]rochianorum sanctimonialium in burgo monachorum manentium, cum pecunia sua dare voluerint, ita tamen si in vita sua [in cimiter]io monachorum sepeliri postulaverint. Remansit etiam eisdem quietum illud de cimiterio Sancti Stephani veteris quod est intra burgum suum ultra fossatum meum. Sanctimonialibus quoque remanserunt omnino quietæ duæ æcclesiæ suæ Sancti Stephani cognomen[to] veteris et Sancti Martini, cum cimiteriis et decimis sui iuris et parochianis sexaginta septem, videlicet qui in iamdicto burgo monachorum manentes ad ipsas æcclesias antiquitus venire solebant, et quicumque in futurum [eorundem] parochianorum mansuras possidebunt.

Testes : Gislebertus episcopus Ebroicensis, Michael episcopus Abrincensis, Gislebertus episcopus Luxoviensis, Balduinus abbas Sancti Eadmundi, Odo capellanus et Goisfridus, Rodbertus comes de Moritolio, Rodbertus de Belesme, Osbernus Gifardus, Hubertus de Portu, Godefridus filius Alberedæ. Ut hæc igitur in perpetuum inconcussa permaneant, ego WILLELMUS rex signum munimenti imponens, mea auctoritate meorumque primatum confirmavi, anno ab incarnatione Domini millesimo octogesimo tercio, mense julio, die festivitatis sancti ARNULFI episcopi et martyris.

[Sig+num Wil]lelm[i regis]. Sig+num Mathild[is] reginæ. Signum + Rodberti comitis. Signum + Gwillelmi filii regis. Signum + Rodberti comitis de Moritolio. [Sig+num Gisleberti episcopi E]broicensis. Signum Gis+leberti Lexovii. Signum + [B]alduini abbatis Sancti Eadmundi. Signum + donni Sansonis. Signum + Rodberti de Belesme. [Signum + Alani comitis.] Signum + Michaelis episcopi Abrincensis. [Signum] Ri+cardi de Corceio. Signum + Huberti de Portu. Signum + Willelmi de Tornebu.

(Version III : le texte est presque identique à Version II. Les signa sont différents de Version II, comme suivant)
Signum W+illelmi regis. Signum Ri+cardi de Corceio. Signum + Huberti de Portu. Signum San+sonis. Signum Willelmi + de Tornebu. Signum Ro+berti comitis de Moritolio. Signum Ro+berti de Belesme. Signum + Alani comitis.